



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Iohannis Regis Bohemiæ epistola de morte Henrici VIII. Imp. patris sui.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688

sam, incidereque non ita pridem in manus nostras exemplar earum litterarum quas ejusdem Imperatoris filius Iohannes Bohemæ Rex dedit ad eluendam maculam sanctissimo ordini iniustam, quarum discretam mentionem faciunt viri celeberrimi, Iohannes Trithemius, Nicolaus Serrarius, & Christophorus Broverus, visum est eas heic opportunissimo loco edendas esse. Sic ergo habent in veteri membrana authentica quam servant fratres Prædicatores Vindunenses.

Johannes Dei gratia Bohemæ Rex, Luccemburgensis Comes, universis præsentis litterarum inspecturis salutem in eo qui custodit veritatem in secula & facit iudicium omnibus qui injuriam patiuntur. Quia Salvator noster in hunc mundum venit ut perhiberet testimonium veritati, & nos secundum modulum nostrum debemus ipsum, quantum possumus, imitari, & maximè quando per vanitates & insanias falsas veritas corrumpitur in plateis & salus populi gravius impeditur ex eo quòd aliqui diminuant bonam famam illorum qui pro veritate fidei mittuntur ut sint in lucem gentium & loquendo & exhortando usque ad extremum terræ proficiant cuilibet ad salutem. Quicumque enim sic cogitant infamia vel procurant contra Dei nuntios seu ministros, restat procul dubio quòd contra populum Dei consilium malignantur. Vnde ait Propheta: *Super populum tuum malignaverunt consilium.* & causa ilico subinfertur: *quia cogitaverunt adversus sanctos tuos.* & sequitur: *ut non memoretur nomen illorum ultra.* Nos per autem retulit coram nobis religiosus vir frater Petrus de Castro-Reginaldi ordinis fratrum Prædicatorum quòd in magnum ipsius ordinis decus & contemptum facti sunt romancij, chro-

Psal. 82.

nicæ, & moteti, in quibus continetur quòd claræ memoriæ Dominum & genitorem nostrum Imperatorem Henricum frater quidam Bernardus de Montepeluciano ordinis supradicti, administrando ei sacramentum eucharistiæ, venenavit, & propter hoc ad defensionem veritatis prædictus frater Petrus de Castro - Reginaldi habere super hoc litteram testimonialem humiliter supplicavit, & nos ipsius supplicationi prout possumus inclinantes, notum facimus universis quòd à principio, quando rumores audivimus de prædictis, nos & amici nostri de his inquisivimus diligenter, & contra dictum fratrem Bernardum de Montepeluciano nihil invenimus fide dignum. Idcirco ipsum credimus prædictum facinus nullatenus commisisse, quia prædictum Dominum genitorem nostrum in sua infirmitate ultima ipse frater Bernardus diligenti obsequio custodivit & pacificè in sua religione inter fideles imperij commorando, ubi à familiaribus prædicti Domini genitoris nostri longo tempore supervixit; & hoc fuit non modicum ipsius innocentie argumentum. Duæ etiam amitæ nostræ sorores prædicti Domini genitoris nostri habitum prædicti ordinis susceperunt, quarum una fuit Priorissa in quodam monasterio, & sic professæ in dicto ordine usque ad mortem permanserunt. Postea etiam Domina Maria soror nostra germana suscepit habitum ordinis memorati. Tamen antequam esset professa, inclytæ recordationis Carolus Rex Francorum eam sibi in uxorem petiit copulari; & sic facta Regina Francorum, quandiu vixit, habuit Confessorem de ordine supradicto, & post mortem, sicut elegerat, habuit inter sorores ipsius ordinis * sepulturam. Et similiter avia nostra Domina Beatrix mater dicti Domini genitoris nostri, quæ post eum aliquo tempore super-

* Obiit anno 1324. sepulta apud moniales ordinis S. Dominici juxta Montem Argisum in diocesi Senonensi. *l. 112.*

vixit, fecit se inter sorores prædicti ordinis sepeliri. Nos etiam & carissima consors nostra habuimus postea de prædicto ordine Confessores. Et si nobis & amicis nostris apparuisset quòd aliquis de fratribus ordinis supradicti in Dominum genitorem nostrum tam dolorosum & nefandum flagitium perpetrasset, nunquam voluissemus tot & tantas familiaritates fratribus ipsius ordinis exhibere. Ideo rogamus quantum possumus uniuersos ut, sicut docet Apostolus, deponentes mendacium, loquatur unusquisque cum proximo suo veritatem, quòd non credat narrationem ignorantium & romancij in quibus contra veritatem plurima continentur, quia hoc esset in detrimentum salutis eorum & præjudicium animæ patris nostri. Rogamus etiam quemlibet qui super hoc à fratribus prædicti ordinis fuerit requisitus, ut procuret sicut poterit quòd aduersarii à prædictis æmulationibus arceantur, ita quòd totus prædictus ordo fratrum Prædicatorum possit Deo sine cordis molestia liberiùs deservire & populum ad viam salutis efficacius revocare. Quod ut perpetuæ firmitatis robur obtineat, præsentibus nostris litteris nostrum fecimus apponi sigillum, Datum in castro nostro de Magduno super Euram Bituricensis diocesis xvii. mensis Maij anno mcccxlvi.

